

**LECTIO DUODEVICESIMA**  
**SENECA A RABSZOLGÁKRÓL**

Seneca Lucilio suo salutem !

Libenter ex iis qui a te veniunt cognovi familiariter te cum servis tuis vivere: hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. 'Servi sunt.' Immo homines. 'Servi sunt ' Immo contubernales. 'Servi sunt.' Immo humiles amici. 'Servi sunt.' Immo conservi, si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunae. Itaque rideo istos qui turpe existimant cum servo suo cenare: quare? nisi quia superbissima consuetudo cenanti domino stantium servorum turbam circumdedit? Est ille plus quam capit, ...at infelicibus servis movere labra ne in hoc quidem ut loquantur, licet. ... Sic fit ut isti de domino loquantur quibus coram domino loqui non licet. ... Deinde eiusdem arrogantiae proverbium iactatur, totidem hostes esse quot servos: non habemus illos hostes sed facimus. ... Vis tu cogitare istum quem servum tuum vocas ex isdem seminibus ortum eodem frui caelo, aequae spirare, aequae vivere, aequae mori! ... Nolo in ingentem me locum immittere et de usu servorum disputare, in quos superbissimi, crudelissimi, contumeliosissimi sumus. Haec tamen praecepti mei summa est: sic cum inferiore vivas quemadmodum tecum superiorem velis vivere. .... Rectissime ergo facere te iudico quod timeri a servis tuis non vis. .... Diutius te morari nolo; non est enim tibi exhortatione opus. ....

Vale.

Quod tegitur, magnum creditum esse malum. (Martialis)

Dum spiro, spero